


Z b
6473



13

AD
SVPREMA OFFICIA
VIRO SVMMO ET EXCELLENTISSIMO
**IOHANNI CHRI-
STOPHORO**
Herold / IC.

HEREDITARIO IN RIEDEBVRG,
POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE IN
DVCATV MAGDEBVRGICO REGIMINIS, CONSI-
STORII, VENATIONVM, SALTVV M LIMITVMQVE CONSILIA-
RIO, ET OCTOVIRALIS COLLEGII AD B. VIRGINIS
AEDEM DIRECTORI,

XXII IVNII ccccccIV
AETATIS ANNO LXXXIII
PLACIDA MORTE EXTINCTO,
XIII IVLII POST SACRA POMERIDIANA
HONESTISSIMO RITV FACIENDA,

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PROCERES ET CIVES
OFFICIOSE ET HVMANITER
INVITAT
EIVSEM PRORECTOR
IOHANNES SPERLETTE,
PHILOSOPHIAE PROF. PVBL. ORD.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYPOGR.



Iud nunc clarum funus indicimus
exsequendum, exemplo nobis tristi
est & lugubri, quam nihil stabile ac
certum in hominum vita sit, & post
omnium, quæ iis in pretio sunt, diu-
turnum etiam vsum, tandem fatalis
mors finem adferat. Opes enim, ho-
nores, ætas viuax, & quidquid mortales optant & magni
faciunt, caduca cuncta sunt & fragilia, sicut ipsi homini ni-
hil certius, quam ex vita excessus, per omnem ætatem ex-
spectandum est. Amplissimus nobis se campus aperiret,
si querimoniis laxare frena, & libero impetu decurrere pla-
ceret: sed ita comparatae sunt res mortalium, ut frustra
coneris dicendo reuocare, si abruptæ sint; aut si paullisper
integiores, instantem finem prorogare querendo. Quod
præstantissimum in vita censetur mortali, innumeris a-
cerbitatibus permixtum est, ut ipsi sâpe, quos felices vul-
gus prædicat, fastidio viuendi mortem sibi expetant. Quid
vero opus est verbis, vbi exemplo res, vt diximus, clarissi-
me demonstrari potest; in quo omnia, quæ in huius gene-
ris hominibus laudamus, adfatim concurrunt, nec vero e-
ventus aliis fuit, quam qui est omnium; ut discedatur ex
vita nulli felicissima: quia post homines natos nemo est re-
pertus, cui omnia successerint ex sententia, numquam ad-
versante fortuna. Quod ita diuina fatorum lege sanctum
est, vt caducis adfixi mortales cælestium & æternorum ne
obliuiscantur. Ad id ergo, quod officium suscepit scrip-
tionis poscit, conuersi, quæ accepimus de illo, cuius ho-
nori exsequias celebrabimus, vt mos est Academiis, enarra-
mus. Is fuit vir summus & excellentissimus IO. CHRI-
STOPHORVS Herold IC. Hereditarius in Riedeburg,
Potentissimi Regis Borussiæ in Ducatu Magdeburgico Re-
giminis, Venationum, Saltuum, Limitumque Consiliarius,
& Collegii Octouirialis ad B. Virginis, Director, qui natus
fuit in hac Halensi ciuitate anno CICICXXXI, extremo


Octobris die, Ecclesiis nostris ob Reformationis initia fausto semper & auspicato; Patre viro nobilissimo & spectatissimo, CAROLO Herold/ in Diemitz Hereditario, Patricio Halensi ac Salinatore inter primos conspicuo, cuius genus ad ducentos annos in hac ciuitate clarum testatumque fuit: & Matre generosa & ornatisima femina MARGARETHA de SCHÖNITZ, ex Equestri genere SCHÖNITZIORVM orta, quæ in maioribus suis & ZOCHIOS, PFRÜTZSCHNERIOS, ALEMANOS, ALEBECKIOS, ceterosque, omnes equestris dignitatis, numerauit. His edito nobilissimis Parentibus nihil defuit ad veram pietatem & liberalium disciplinarum studia quo adduceretur. Ingenium præstans, cura parentum, industria domi pueritiam formantium, abunde illi contigerant, adeo, ut nondum ephebus doctissimis clarissimisque Magistris gymnasii patrii, RÜDIGERO quarto, LICHTEMANNO tertio collegæ CALENO Conrectori, GVEINZIO Rectori erudiendus, & ad maiora præparandus committeretur: sub quibus ita etiam Deo fortunante, profecit, ut anno CICICL dignissimus viñus fuerit, qui, postquam sâpe se perorando disputandoque publice exercuerat, etiam Vale dicturus orationem de *adquirenda prudentia politica*, & disputationem de *Collegiis*, supremum industria specimen, vno tempore ediderat, legitimate dimissus, in celeberrimam, quæ Iena est, alegaretur Academiam. Quod vero a laudato Rectore GVEINZIO non solis humanioribus litteris, sed philosophia etiam institutus probe fuerat, & iurisprudentiæ elementis quoque tinctus; eo alacrius in Academia cursum bene coepit persecutus est, in politicis primum excitante IO. CHRISTFIDO SAGITTARIO, in iure IOHANNE THOMAE, utroque post in Altenburgensi Ducatu ad summos honores peruecto, hoc Cancellario, illo Superintendentem Generali constituto: deinde ceteros ibidem antistites, quorum fama immortalis est, VNGEBAVERVM, RICHTERVM, STRUVI VM, STRAVCHIVM, SCHRÖTERVM, multa sedulitate docentes,

centes disputantesque publice, priuatim audiuit, & suum il-
lis ingenium industriaque adprobauit. Cuius rei testes sunt,
præter priuatas multas, diue disputationes publicæ, quarum
alteram præside SCHRÖTERO de *Ratificatione* defendit,
quam ipse post auctius elaboratam Tractatus forma edidit:
alteram de *Judice feudali*, moderante magno iurisconsulto
STRVIO. Sic bene in iuris theoria formatus, **C15 15C LIV**
Lipsiam concescit, & clarissimo legum interpreti **QVIRINO**
SCHACHERO operam dedit, tum suos ad usum iurisprudentiæ,
collegio Curialium practico, adducenti. Inde, circum-
acto anno Ienam reuertit, præmia industriæ, honores in
iure summos, petiturus: quos etiam, quum consuetis Ex-
aminibus, & Lectione, ac disputatione de *Iure representatio-*
nis ac transpositionis le dignissimum probasset, pro meritis suis
per facile consecutus est. Non diu virtus latet: & in lucem
NOSTER illico protractus **C15 15C VI** grauisimo, quod
hic loci est, Scabinorum collegio adlectus fuit: altero mox
anno a glorijs memorie Principe **AVGVSTO**, Saxo-
niæ Duce, ac Administratore Archiepiscopatus, Consilia-
rius Aulicus & Consistorianus in Hereditariis prouinciis
creatus, summa cura demandatum munus obit, & anno
C15 15C LX, extinto ultimo Comitum Barbyensium **AV-**
GVSTO LVDOVICO, Comitatum ille cum adnexa Dyna-
stia Rosenburgensi, in fidem & clientelam laudissimi
Principis suscepit, pro Eodemque **C15 15C LXIV**, in con-
ventu Circuli Superioris Saxoniæ, Comitatus illius caussa
locum & sedem occupauit, & suffragium inter alios libere
tulit. Postquam vero glorijs Princeps & Administrator
sumnum Hereditariæ Prouinciæ Dicasterium, quod in hac
vrbe fuerat, **C15 15C LXVI** VVeisenfelsam transtulit, No-
ster relictis hic suis (nec enim sine rerum damno transferri
facile poterant) eodem est profectus: vnde quod sâpe ad
suos commeandum erat & ad rem familiarem inspi-
cendam; post biernum, itinerum pertæsus, illum locum
cum Consulatu patriæ communauit: in qua statione ad an-

num c*1515* CLXXIV permanxit: interea aliis etiam honoribus auditus, quippe Syndicus Metropolitanæ, quæ Magdeburgi est, Ecclesiæ, & ante paullo Director Collegii ad S. Virginis Halensis, electus fuit. Anno c*1515* CLXXIV Prætor creatus est vrbanus, vt ius ciuibus diceret: quo cum munere simul Burggrauiatum Halensem, vt tum vocabatur, administrauit. Anno c*1515* CLXXX glorioſissimus Elector Brandenburgicus FRIDERICVS VVIL-HELMVS sponte sua, non rogatus, propter perspectam fidem & virtutem, vt in litteris Electoralibus est, Consiliarium regundi Ducatus Magdeburgici & Consistorii eum constituit, etiam curam Iurium circa Limites, Venationes & Saltus in eodem Ducatu demandauit: in quibus functionibus a serenissimo Successore, indulgentissimo REGE nostro, anno c*1515* CLXXXIX clementissime confirmatus est. Magnis sic honoribus NOSTER per varias reipublicæ partes functus est, quos diligentissime obiit omnes, nec vero industria suæ temperauit, quo minus, præter tot publicas expeditiones, subsecuens horis legendo scribendoque ingenium aleret, ac animum his deliciis oblectaret. Cuius rei testes sunt præclara, quæ edidit, volumina, *Iſagoge ad Processum Ciuiilem & Saxonicum*: & Singulares consultationes forenses, sive *Confilia Decisiva*: item *Illuſtres quædam Observatiōnes Consultatīo Decisive*: adhuc *Tractatus de Iure Ratificatiōnis*, quem Iena olim, vt diximus, disputauerat: & Singulares *Observatiōnes Foreſtales*, quæ Corpori Venatorio Forestali B. Ahasv. Fritschii etiam insertæ sunt. Quum primas honores gerere coepisset, matrimonio etiam animum applicuit, ducta c*1515* CLVI idibüs Ianuariis nobilissima lectissimaque DOROTHEA, viri nobilissimi consultissimique G EORGII Wilsdvgels/ Consiliarii Saxonici, Secretarii Intimi & Feudalis in Hereditariis serenissimi Administratoris provinciis: & MARIAE NICOLAAE filia, nunc Vidua mæftissima, cum qua concordissime vixit, & quindecim librorum, nouem filiorum, sex alterius lexus, pater ex illa factus

ctus est: ex quibus tres filii, & totidem filiae superstites: illi
sunt, nobilissimus & consultissimus CHRISTIANVS
Herold/ I. V. D. Potentissimi Regis Borussiae Consiliarius
Venationum, Saltuum Limitumque in Ducatu Magdebur-
gico, qui anno c151661 nobilissimam virginem GER-
TRUDEM, viro summo & excellentissimo FRANCISCO
de ESSEN, Potentissimi Suecorum Regis Consiliario Au-
lico Gryphswaldensi in Pomerania, & ANNO PANSON-
WENIA, matronam itidem nobilissima, natam, in matrimo-
nium sibi adiunxit: & nobilissimas amplissimisque vir 10.
CHRISTOPHORVS **Herold**/ Hereditarius in Canena, se-
renissimi Principis Hasso-Homburgensis Consiliarius & Præ-
fectus Oebisfeldensis, qui c151660 matrimonium iniit cum
femina lectissima, ILSA ANNA COVINIA, vidua BERN-
DESIA, ex qua duos filios filiasque totidem suscepit: &
nobilissimus FRIDERICVS WILHELMVS **Herold**/ I.V.
Candidatus, forensibus addictus actionibus. Atque hi filii
superstites. Filias autem reliquit NOSTER itidem tres
CHRISTIANAM ELISABETHAM, iuris consultissimi
viri, nunc beati, GEORGII HENRICI BRÜCKNERI, Er-
furtensis Academiae Professoris P. & Provincialis Iudicij Ad-
fessoris Viduam; quæ sex illi filios, totidemque filias peperit,
e quibus filii tres & filiae duæ Parenti & Auo superflunt: de-
inde ANNAM ROSINAM, amplissimi consultissimique
viri FRIDERICI SEYFARTI, Consulis quondam Ha-
lensis, & Scabinatus Adfessoris, ac Octouiri ad B. Virginis,
Viduam, trium filiorum & totidem filiarum matrem, e qui-
bus filius unus Fridericus Christophorus, iuris studiosissi-
mus, & filia una Anna Rosina superflunt: tandem superstes
etiam Patri filia est MARTHA ELISABETHA HEROLDIA,
virgo arnatisima. Sic felix NOSTER honoribus, felix con-
iugio, & felix etiam prole vtriusque sexus fuit: nec vero
haec felicitas, vt solent res mortalium, immunis a casibus hu-
manis fuit. Ipse vix quinquennis patrem amisit, educatus
dein a vitrico, consultissimo viro GEORGIO **Scagen**/ Scabi-
natus

natus Halensis Seniore: anno C I C I C L X X V I incendio ædes
& rem familiarem amisit: sed funera sæpius repetita. anno
C I C I C L X X I X tribus filiis vno die orbatus est, & paucis
post diebus, adulta filia virgine: & anno C I C I C L X X X I
filio A V G V S T O, I. V. Lic. & Scabinatus designato Ad-
fessore; quæ omnia patienter tulit, in eo Aemilio Paul-
lo, fortissimo viro, comparandus, aut præferendus
potius. Ei enim, quum ex Macedonia triumpharet, duos
filios fortuna intra septem dies abstulit: Nostro autem
tres vno die, & paullo post, filiam nubilem, filiumque
honoribus iam destinatum; etiam Generos duos clarissi-
mos. Alia vitæ humanæ casus & incommoda, peri-
cula, fortunæ mutationes, iam breuitatis caussa filemus.
Hæc tamen cuncta fortiter sustinuit, &, Deo corroborante,
superauit. Accesit grauitas ætatis, quæ per se morbus est,
quamvis ad septuagesimum annum labore atque, studio cum
senectute victor depugnauerit: post demum debilitatem sen-
sit, marasmo senili & cachexia corpus occupante: quo ipso
animus excitatior factus, & sacris, quibus vacabat, medi-
tationibus paratior ad emigrandum. Quod contigit et-
iam illi, vt dudum exoptauerat, die X X I I Junii sub vespe-
ram feliciter, Deo animam in meliores sedes educente, post
quam biduo ante vir maxime reucrendus D. W O L F G .
M E L C H I O R Stiper/ Antistes primarius & Regius Inspe-
ctor, augustissimis Christi epulis & diuinis exhortationibus
eum confirmauerat. Exsequiæ ducentur hodie post sacra
meridiana: cras in B. Virginis templo memoriae & honori
venerabilis Senis sermo geminus habebitur. Vtrique actui
vt amplissimi Collegæ nostri, aliisque Academiae addicti,
cum Ciubus nobilissimis præstantissimisque, frequentes
adint, & meritissimo Viro suprema, vt par est, faciant,
per communia humanitatis iura rogamus & admo-
nemus. P.P. Halæ XIII Jul. C I C I C C I V.







worden seyn / als er auss
iff eine bereits schon erwachse
ung etlicher Jahre er einen an
ohn einbüßen müssen / davon
allerhöchste zu zweien unter
ver hochbeliebten Schwieger
esende / wenich durch weinen
lagene Wunde in etwas auf
dass nunmehr ein geschickter



AD
SVPREMA OFFICIA
VIRO SVMMO ET EXCELLENTISSIMO
IOHANNICHRISTOPHORO

Herold/ IC.

HEREDITARIO IN RIEDEBURG,
POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE IN
DVCATV MAGDEBURGICO REGIMINIS, CONSI-
STORII, VENATIONVM, SALTVM LIMITVMQUE CONSILIA-
RIO, ET OCTOVIRALIS COLLEGII AD B. VIRGINIS
AEDEM DIRECTORI,

XXII IVNII CICCI
AETATIS ANNO LXXIII
PLACIDA MORTE EXSTINCTO,
XIII IULII POST SACRA POMERIDIANA
HONESTISSIMO RITV FACIENDA,

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PROCERES ET CIVES
OFFICIOSE ET HVMANITER
INVITAT

EIVSDEM PRORECTOR

IOHANNES SPERLETTE,
PHILOSOPHIAE PROF. PVBL. ORD.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYPOGR.